

vitatibus solemnioribus. n. 3046 ad 6 die 11. Mart. 1684.

Super altari locentur sex tantum et non septem candelabra cum totidem candelis celebrante Priore usum Pontificalium habente. n. 291 die 28. Jan. 1606.

Vicarius et Beneficiati Ecclesiae paroch. Caesaraugustanae non possunt collocare sept. candelabrum in altari maj. in festivitatibus solemnibus. n. 3077 die 10. Febr. 1685 et 20. Aug. 1687; n. 3178 die 22. Jan. 1689.

Cum *Episcopus Administrator* missam cantat in Pontificalibus, non debet poni super altare septimum candelabrum cum candela accensa. n. 3952 ad 6 die 22. Aug. 1722.

Celebrante Suffraganeo super altare non esse ponendum septimum candelabrum, sicut ponitur celebrante proprio Archi-Episcopo. n. 354 die 1. Sept. 1607.

#### b) In missa sol. Episcopi.

Vd. *Ordinatio* (lum.)

Episcopo pontificaliter celebrante debet super altare poni 7. candelabrum eorum sumptibus, qui ad caeteras missae pontif. expensas tenentur. n. 4317 ad 7 die 6. Aug. 1763.

#### c) In Missa de Requ. Episcopi.

In Missis defunctorum ab Episcopo celebratis nunquam adhibetur septimum candelabrum. n. 351 ad 8 die 19. Maii 1607.

#### d) In vesp. Episcopi.

In missa tantum et non in vesperis Episcopo celebrante, solet adhiberi septimum candelabrum. n. 351 ad 8 die 19. Maii 1607.

### CANES.

(ab Ecclesia prohibendi.)

Vd. *Instructio Clem.* §. VIII n. 3.

### CANON.

#### 1) Dignitarii.

In missa solemniter cantata in elevatione non potest uti canone prima Dignitas Cathedr. Spolet. n. 2967 ad 2 die 20. Sept. 1681.

Vd. *Bugia Dignitat.*; decr. n. 4824. *Usus Pontificalium.*

#### 2) Nomen Abbatis et Episcopi.

Vd. *Missale*; *Oratio pro Episcopo.*

Eos Religiosos, qui Antistitis nomine tacito, ejus loco in precibus sive in Canone suae Religionis superiorum nominant, contra charitatem facere. n. 283 die 12. Novb. 1605.

Non debent Regulares in Canone nominare Superiores suos ut Antistites. S. R. C. 15. Novb. 1615.

In Canone et in Collectis omnino faciendam esse mentionem de Episcopo etiam ab exemptis. n. 1611 ad 6 die 25. Sept. 1649.

In canone nomine Antistitis non sunt nominandi Superiores Regularium. n. 2363 ad 11 die 13. Febr. 1666.

In loco defuncti Pontificis vel Episcopi nemo alias in Canone nominari debet. n. 2451 ad 12 die 15. Sept. 1668.

Postulabat Abbas saecul. Collegiatae de Lerma nullius Provinciae: Ut liceret Clero saeculari quam regulari in Ecclesiis ei subjectis eum nominare in canone. S. C. resp. *Negative.* n. 4494 die 1. Sept. 1804.

Nomen *Episcopi Administratoris* amovibilis Ecclesiae vacantis non debet in Canone memorari per sacerdotes celebrantes. n. 3952 ad 5 die 22. Aug. 1722.

Celsitudinis Regalis Eminentiae Ludovici D. Cardinalis Infantis Hispaniarum Toletanae, Hispalensis Ecclesiarum *administratoris* et Possessoris, licet sacris destituti Ordinibus, nomen

in canone missae, Collecta et Praeconio est exprimendum. n. 4135 die 19. Jan. 1743.

#### 3) Nomina SSrum.

Vd. *Inclinatio capit. infra missam*; *S. Johannes B.* (ejus nominatio etc.)

Additionem nominis s. Josephi Sponsi B. V. M. in canone fieri non debere. n. 4520 die 16. (17.) Sept. 1815.

#### 4) Plures missae, uno tamen sacerd. dicente Canon.

Fratres Ordinis SS. Trinitatis Insularum Majoricae in septem altaribus, in capella rotunda erectis sub titulo 7 Mysteriorum dolorum B. V. M. et privilegio apostolico pro defunctis decoratis septem Missas semel celebrant, *uno Sacerdote totum s. Canonem alta voce proferente*, ita ut alii Celebrantes simul consecrant, simul elevent hostiam et simul terminent Missam. S. C. resp.: *Aboliri dictum abusum.* n. 1451 ad 1 die 13. Junii 1643.

### CANONICATUS.

(*Cui conferendum?*)

Canonicatum et Praebendam conferendam esse in perpetuum et in titulum Clerico saeculari, qui cum caeteris Canonicis munus Praebendae theologalis adimpleat juxta formam Concilii Tridentini, quia nullo modo convenit, ut Frater regularis cantet Officium in choro cum Canonicis et presbyteris saecularibus. n. 220 die 15. Novembris 1603.

### CANONICI.

#### 1) Ecclesiae Cathedralis.

##### a) Accessus ad chorum.

Non licet Dignitatibus se induere cotta et Almutia in stallis chori sed debent se induere in Sacristia et processionaliter cum Canonicis accedere

ad chorum. n. 3121 ad 6 die 20. Julii 1686.

Canonici in accedendo et recedendo a choro progredi et recedere valeant per partem proximiorem stallo. num. 4358 ad 32 die 7. Dec. 1771.

#### b) Administratio Sacrament.

Vd. *Cappa Canon. Cath.* (decr. n. 4946 et 4536); *Canonicus (Insignia et habitus)*; *Stola in administr. Sacram.*; *Rocchettum Canon.*; *Mozzetta Canonico*; *Usus Pontifical.* (decr. u. 4696 ad 3).

Canonici, usum cappae et Rocchetti habentes, debent Sacraenta administrare cum superpelliceo et stola juxta Rituale romanum. n. 753 ad 1 die 12. Julii 1628; n. 4365 die 19. Junii 1773.

Canonici Collegiatae s. Laurentii Florent., qui habent usum Rocchetti, in administratione SS. Sacramenti utantur rochetto et stola. n. 2635 die 17. Junii 1673.

*Ad dubium:* an Dignitatibus et Canonicis (Ecclesiarum Colleg.) habentibus usum Mozzettae, dum Sacraenta administrant, sit permittendus usus stolae super mozzetta? S. C. resp.: Pro observatione decretorum et Caerem. retrospective. n. 3484 die 2. Aug. 1698.

Canonici Cathedralis in administratione Sacramentorum tam intra, quam extra Cathedr. tenentur deponere cap-pam atque uti superpelliceo et stola juxta rituale rom. n. 4536 dub. addit. 1 die 4. Junii 1817.

#### NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Clara et generalis est rubrica Ritu-alis Romani tit. 1. num. 7, videlicet: *In omni Sacramentorum administra-tione superpelliceo sit indutus, et de-super stola ejus coloris, quem Sacra-menti ritus exposcit.* Idipsum habe-tur, ut de aliis Synodis sileam, in Conc. Prov. I. Mediolanensi, ubi S. Carolus Borromaeus expresse jubet,

*„ut Sacerdotes in Sacramentorum administratione semper superpelliceum decens, et stolam adhibeant.“*

Cum autem lex generalis sit, nulla excipitur persona quavis dignitate praefulgens: hinc fit, ut etiam Canonici usum Cappae magnae habentes, Sacraenta administraturi eam debeant deponere, et superpelliceum assumere. Quod declaratum video pluries ab hac S. C. Ita in una Dubiorum Urbis: „an Canonicis usum Cappae habentibus liceat Sacraenta administrare cum solo Rocchetto, et deposita Cappa“: sub die 12. Jul. 1628 responsum fuit: „Sacraenta esse administranda cum superpelliceo, et stola, juxta Rituale Romanum.“ Neque credas hujusmodi Decretum longo temporis decursu obliteratum in desuetudinem abiisse: nam eadem S. R. C. illud instauravit, et ad observantiam revocavit, simili quaestione proposita in C. habita die 19. Junii 1773 a Canonicis Collegiatae S. M. in Cosmedin. Urbis. Idipsum dispositum habetur in Syracusana die 2. Aug. 1698, et in Pisauren. 12. Dec. 1750.

#### AESINA.

In Bulla erectionis (Collegiatae) Ecclesiae loci Cuprae Montanae vulgo Massaccio intra fines Dioecesis Aesinae haec habentur: „Canonici Rocchettum cum suis Manicis, et Mozzettam violacei coloris tam in dicta Parochiali Ecclesia, quam extra eam... quibuscumque Actibus et Functionibus publicis et privatis... deferre et gestare... libere et licite possint, et valeant, et quilibet eorum possit, et valeat.“ Ex illimitata Bullae enunciatione usque ab Anno 1778, in quo Collegiata erecta fuit, Canonici cum Rocchetto et Stola Sacraenta Baptismi, Poenitentiae, et Eucharistiae administrare cooperunt, et Archipresbyter, qui est unica Collegiatae Dignitas, Rocchetto, Mozzetta,

et Stola indutus Domorum benedictionem in Sabbato Sancto perficit. Hisce positis alter ex Canonicis Sacrorum Rituum Congregationi supplicavit pro declaratione; nimurum: an stante illimitata concessione tum Canonici, tum Archipresbyter perseverare queant in inventa consuetudine? Sacra autem Rituum Congregatio ad Quirinale sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, re mature, diligenterque perpensa, rescribendum censuit: „Negative, et detur Decretum in una S. Mariæ in Cosmedin. Urbis diei 19. Junii 1773.

Et ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 16. Aprilis 1831 n. 4664.

#### NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Responsio S. Congregationis responseibus est conformis alias datis tum die 12. Julii 1628, tum die 19. Junii 1773 cum simile huic Dubium fuit propositum, nec diverso potuisse modo respondere. Cum enim accurate Rituum et Rubricarum observationi S. Congregatio sit praeposta, quidquid abusum, vel novitatem redolet, debet reprobare, atque eliminare ex ipso suae Institutionis fine. Abusum autem, et novitatem praesefert consuetudo, quae in medium profertur, quaeque Sacrae Congregationi perpendenda proposita est; administrandi scilicet Sacraenta Baptismi, et Eucharistiae a Canonicis cum Rocchetto, et Stola, et domos benedicendi in Sabbato Sancto cum Rocchetto, Mantelletto et Stola ab Archipresbytero: praeter quod enim solum Rocchettum non possit haberi tamquam vestis Ecclesiastica, nec in choro quis cum hoc tantum adesse possit, et Rocchettum cum Mozzetta sit habitus choralis tantum, nimis clara est Ritualis Rubrica: *De iis, quae in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt, quae praepicit, ut Sacraenta administrentur*

cum Superpelliceo et Stola: *In omni Sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus, et desuper stola: Tenentur igitur Sacerdotes stolam et cottam induere dum Sacraenta administrant, et id ab hac Rubrica praecipitur (demptis casibus ab ipsa Rubrica notatis, qui locum in nostro casu nullum habent) quod etiam monitum fuit a S. Congregatione Episcoporum die 8. Nov. 1588. Si qui sunt, qui ex concessione usu gaudent Rocchetti et Mozzettæ, his uti nequeunt in administrandis Sacraentis, pro quorum administratione taxative vestis praescribitur a Rubrica, ut vidimus, sed illis tantum uti possunt in Choro, in Processionibus et Functionibus omnibus, in quibus habitum choralem induunt. Hinc enunciatio Bullæ, quæ illimitata dicitur, suos utique habet limites, nempe Functiones publicas et privatas respicit, quæ collegialiter sive in Ecclesia, sive extra peraguntur, et hic habitus toti Collegio, non singulis est concessus, exclusa tamen semper Sacramentorum administratione, in qua unusquisque eam debet vestem induere, quæ pro hac est a Rubrica praescripta. Non igitur illimitata est concessio, sed illimitata potius, et nimis libera, et contra Rubricæ praescriptum illius interpretatione, ex qua abusus est exortus, quem Sacra Congregatio dato Decreto, et confirmatis aliis jam super hac re existentibus, eliminandum esse censuit.*

*Ad dubium: Utrum possint et ipsi Canonici, qui ex antiquo more Mozzetta et Rocchetto insigniti sunt, uti Rocchetto in administratione seu confectione Sacramentorum et Sacramentalium, quum Rm. Episcopus usum Rocchetti generaliter, et pro majori Seminario recenter praeceperit, aut saltem probaverit, et pro omnibus insuper suac Dioecesis Presbyteris, etiam in Sacramentorum administratione se*

toleraturum esse voto et scripto declaravit, quidquid in contrarium faciant Caeremoniale Episcoporum, Rituale Romanum, Missale et Pontificale, et licet nulla in Dioecesi Cenomanensi antiqua, aut usquedum generalis pro ea S. Liturgiae derogatione extiterit consuetudo?

Emi. et Rmi. P. . . rescribendum censuere:

„Rocchettum non esse vestem sacram adhibendam in administratione Sacramentorum, ac proinde tum ad ea administranda, tum ad suscipiendam primam Tonsuram, et Minores Ordines necessario superpelliceo utendum.“

Atque ita declaravit. n. 5165 die 10. Januarii 1852.

*Ad dubium: Canonici habentes usum Rocchetti, et Cappæ seu Mozzettæ, quo habitu debent concionari, Confessiones excipere, baptizare, aliaque Sacraenta ministrare tam in propria, quam in aliena Ecclesia et Dioecesi? S. C. resp.: „Detur Decretum diei 31. Maii 1817 in una Dubiorum, nimurum: tam intra, quam extra propriam Ecclesiam tenentur Canonici in Sacramentorum administratione Cappam, vel Mozzettam deponere, et assumere Superpelliceum et Stolam. Si Concionem habeant in propria Ecclesia Cappa vel Mozzetta utantur, non item extra.“ n. 4669 ad 26 die 12. Nov. 1831.*

*Ad dubium: Canonici et Cappellani Ecclesiae Primalis Pisanae itemque Parochi, aliqui Sacerdotes per Dioecesim occasione ministrandi Sacraenta Poenitentiae et Eucharistiae induere solent Stolam super Cappam, et Mozzettam, aut Caputium. Hunc abusum est difficile eyellere. Quum enim hujusmodi Presbyteri ex antiquissimo privilegio pro Superpelliceo utantur Rocchetto, continuo conquaeruntur, praesertim pauperiores, sibi esse in promptu habendum Superpelliceum super Rocchetto imponendum. Pro Ecclesia vero*

Conventuali Divi Stephani Papae et Martyris, quum ab jurisdictione Ordinarii non pendeat, nescio quo pacto animadvertisse possit in consuetudinem hujusmodi; seu: Utrum 1. Dignitates, Canonici, Parochi, et Sacerdotes tum Ecclesiae Primalis, tum aliarum Ecclesiarum Dioecesis Pisanae adigi debent ad Superpelliceum cum Stola in administratione Sacramentorum juxta Rituale Romanum, deposita Cappa, et Mozetta, vel Caputio etc.? Utrum 2. In Ecclesia Conventuali Sancti Stephani Papae et Martyris exempta Presbyteri ministrantes Sacraenta sine Superpellico cogi valeant ab Archiepiscopo ad servandam recensitam Ritualis Romani Rubricam. S. C. resp.:

,Affirmative quoad utramque partem. n. 4672 ad 22 die 12. Novbr. 1831.

#### NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Haec praxis, quae in Primali Ecclesia Pisana in administrando Fidelibus Sacram Eucharistiam servatur, contraria est Rubricae Ritualis Romani, quae *Superpelliceum et Stolam* in administratione Sacramentorum adhibendam praecipit, quod pariter singulari modo praescribit, dum Sacra Eucharistia est administranda: sic enim praecipit in ordine administrandi Sacram. Communionem: *Sacerdos lotis prius manibus, et Superpellico indutus, et desuper Stola coloris Officio illius diei convenientis.* Jam omnia ordine fieri debent, quemadmodum monet Apostolus et in Litteris Apostolicis sub plumbo Paulus V. fel. rec. repetit, confirmatque immortalis memoriae Benedictus XIV. et ea praecipue, quae pertinent ad Ecclesiae Dei Sacramentorum administrationem. Insuper, qui in Rituale Romano comprehenduntur ritus, monet ut inviolate ab omnibus tamquam Ecclesiae filii serventur, quia ejusdem Ecclesiae Matris et Magistrorum

auctoritate constituti sunt. Qui, quaeso, ordo esset in administranda Sacra Eucharistia, quomodo inviolabiliter servaretur quod de habitu, quo hoc Sacramentum debet administrari, praescribitur, si Superpelliceum, quod praecipitur, non adhiberetur? Sane hoc contra Rubricae praescriptum esset, ideoque improbandum foret. Esse abusum non denegatur in dubio, sed affirmatur aequa difficile esse illum evellere. Profiteri abusum sufficiens est ratio ad illum tollendum, evelli autem facili potest negotio si res ad ordinem redigatur, si religiose et inviolabiliter, ut par est, quae praescripta non sunt observentur, ut revera ab omnibus servari absque ullo dubio debent. Neque Rubricae servandae sunt, aut negligendae pro uniuscujusque commoditate, quia in promptu ex gr. non est Superpelliceum super Rocchettum imponendum. Non agitur sane hic de administranda Sacra Eucharistia per modum Viatici infirmo morituro, sed benevolentibus, adeoque nihil officit, aut potest officere communicandis, si parumper expectent: expectent utique donec Sacerdos habitu praescripto induatur, et, ut debet, hoc Sacramentum administret. Quod vero ad Ecclesiam sancti Stephani Papae et Martyris spectat, quae ab Ordinarii jurisdictione non pendet, pro qua tamquam exempta difficilis et pene impossibilis asseritur animadversio in consuetudinem non adhibendi Superpelliceum, velim dicent, num Rituali Rubricae hos, illosve respiciunt, hanc vel illam eximunt? An non potius omnes aequa Sacerdotes Sacramentorum Ministros respiciunt, et obligant? Quid exemplo Ecclesiae ab Ordinarii jurisdictione cum exemptione ab observandis Rubricis? Magnum quidem est inter utrumque discriminem. Apostolicae autem Litterae Summorum Pontificum neminem ab observandis

Ritibus et eo, quo praecipiuntur modo, excipiunt, nullam Ecclesiam, quaecumque ea sit, eximunt. *Quapropter*, sic habetur in Apostolicis Litteris Benedicti XIV, qui aliorum Pontificum mandata refert, *hortamus in Domino Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, et dilectos Filios eorum Vicarios, nec non Abbes, Parochos universos ubique locorum existentes, et alios, ad quos spectat, ut in posterum tamquam Ecclesiae Romanae filii . . . inviolabiliter observent.* Sane quae exemptio in his verbis appareat? quae exceptio? Quis inter Ecclesiae Filios per inobedientiam adnumerari recusaverit? Aut hoc nomine per inobservantiam Rituum, quos servare debet, noluerit gloriari? Nemo sane, ut arbitramur, reperietur, qui tantam gloriam negligat.

Atque hinc quisque intelliget rationem ab exemptione Ecclesiae desumptam nihil omnino esse faciendam, ut pariter a servandis Ecclesiae Ritibus exemptus quis putetur, et Rubricarum praecceptis renuat obtemperare.

Haec autem responsio haud recens est, nec unica, ita ut quid novi sit modo decretum. Conferantur quae alias ipsa Sacra Rituum Congregatio edixit, et eadem semper decreuisse apparebit, quippe quae ad tuendos servandosque legitimos et antiquos Ecclesiae Ritus fuit instituta. Sic in una Dubiorum Urbis sub die 12. Julii 1628, sic in Syracusana die 2. Augusti 1698, in Pisauensi die 12. Decembris 1750 et in una Urbis Sanctae Mariae in Cosmedin 19. Julii 1773, in quibus omnibus Decretis, ut alia multa, et similia omissa sunt, praescriptum semper fuit *Superpelliceum cum Stola* in administratione Sacrae Eucharistiae, additumque semper aequa fuit: *juxta Rituale Romanum*. Nulla itaque est ratio, cur ali-

ter responderi posset, adeoque servari debet, quod Rituale Romanum praescribit, contra quod nulla admittenda est contraria consuetudo, nulla vel Personarum, vel Ecclesiarum exceptio, nihil habendae sunt in contrarium sentientium quaerimoniae. Omnes enim Ecclesiae praescriptis obtemperare tenentur, eaque inviolate ac religiose servare.

#### c) Assistentes Episcopo.

##### I. In habitu canonicali in choro.

###### Vd. Mandatum.

Canonicos in Dominicis Adventus et Quadragesimae aliisque diebus festis, quibus Archiepiscopus in choro cum cappa assistit, sub poena non tantum amissionis distributionum sed sub alia arbitrio ejusdem Archiepiscopi debitam assistentiam praestare debere. n. 1505 die 23. Maii 1648.

Canonicos non indutos canonicalibus indumentis non teneri ad praestandam assistentiam Archiepiscopo; imo contra ritum praestari. n. 1874 die 16. Mart. 1658.

Inchoatis Officio et Missa supervenientibus Dignitatibus vel Diaconis dignioribus, ad quos munus assistentiae incumbit, tum cappa, tum sacris vestibus indutis locum cedere tenentur eorum vices supplentes, si eodem habitu amicti inter alios apud stalla interesse potuerunt. Verum si indumentum eos mutare oporteat, in assistentia persistant usque ad finem actionis. n. 2805 ad 1 die 14. Novb. 1676.

##### II. Parati in choro.

Cf. *Processio* (Can. par.); *Almutia*; *Episcop. assist.*; *Suffraganeus*; *Pluviale in choro* (decr. n. 3551); *Canonici Colleg.* (parati assist.); *Episcop. Administrator* (Ministri etc.); *Diaconi ass.* (quae param.); *Parasceve* (ador. crucis); *Clerus*, decr. n. 4803.)

Decentius esse, ut Dignitates Plu-

vialibus, Canonici Presbyteri Planetis, et Diaconi et Subdiaconi vel qui pro Diaconis et Subdiaconis supplent, licet ordine sint Presbyteri, utantur dalmaticis et tunicellis. Ita enim ecclesiasticus apparatus varietate circumiacens majorem praebet aspicientibus splendorem et decentiam, quam si amnes Canonici Pluvialibus induantur. n. 374 ad 9 die 15. Mart. 1608.

Episcopo Vesperas vel Missas solemniter celebrante vel aliquid Pontificale exerceente, ultra necessarios Ministros, omnes Dignitates et Canonici apparati esse debent. n. 13 ad 3 die 20. Mart. 1590.

Canonicos Cathedralis teneri *capitulariter* assistantiam praestare Episcopo, quando *solemniter in cantu* inter divina Officia fiunt Ordinationes; si vero fiant *privatim*, tres tantum ex ipsis debere Episcopo inservire. n. 1944 ad 1 die 7. Decb. 1658.

Esse abusum, ne Canonici sumant ad Missam (pontificalem Episcopi) sacra indumenta. — Ex quo non adsit distinctio Praebendarum, posse omnes tum Dignitates tum Canonicos indui pluvialibus. n. 1955 ad 1 et 2 die 15. Febr. 1659.

Ad conquestionem, quod Episcopus Theles. praecepsisset, ut Canonici Cathedr... in missis et Vespris pontificalibus Pluvialia deferant, S. C. resp.: „*Servari Caeremon.*“ n. 2120 die 2. Julii 1661.

Dignitates Episcopo Divinis pontificaliter interessenti assistentes non possunt inter solennia hujusmodi deponere Pluviale missam celebrandi causa. n. 2172 die 3. Junii 1662.

Episcopus, habens in Cathedrali Dignitates et Canonicatus *omnes presbyterales*, potest statuere quod ultra Presbyterum assistentem alii duo in scannis assistantium habeant pluviale et ultra duos Canonicos assistentes cum dalmaticis in throno et duos alios

ad altare in habitu diaconali et subdiaconali respetive habeat in dictis scannis assistantium ultimos quatuor Canonicos, duos indutos dalmaticis et duos tunicellis; et, quod non sunt distinctae praebendae, primum locum deberi tribus Canonicis assistantibus in throno; secundum Canonicis assistantibus in presbyterio cum Pluvialibus; tertium assistantibus cum planetis; quartum assistantibus in figura diaconali cum dalmaticis et Diacono Evangelii assumendo ex tribus per turnum; quintum assistantibus in figura subdiaconali et Subdiacano Epistola pariter assumendo ex tribus per turnum. n. 2941 ad 1 et 2 die 11. Jan. 1681.

Quatuor Canonici, qui ultimi sunt, figuramque faciunt Diaconorum et Subdiaconorum, debent in sedendo, in thurificando et in pacem dando tractari, ut disponit Caerem. Episc. de Canonicis vere Diaconibus et Subdiaconibus. n. 2941 ad 3 die 11. Jan. 1681.

Si in Vesperris semipontif., quibus Episcopus assistit in pluviali et mitra cum quatuor aut sex Canonicis pluviali indutis, cum de Sacristia pervenerint processionaliter ante altare majus, et Episcopus genuflexerit in faldistorio, duobus Canonicis cum cotta hinc inde assistantibus, ipsi Canonicus parati in pluviali debent orare in suis locis in choro et non genuflexi post Episcopum. n. 3851 ad 1 die 8. Apr. 1713.

Canonici parati manere debent in propriis stallis, dum ab Episcopo thurificatur altare. n. 3851 ad 4 die 8. Apr. 1713.

Dum *Episcopus Administrator* missam canat in Pontificalibus, non debent omnes Canonici s. paramentis indui, sed tres tantum fungentes officiis Diaconi, Subd. et Presbyteri assistantis. n. 3952 ad 7 die 22. Aug. 1722.

*Ad dubium:* an exercente Pontificalia Episcopo, liceat Episcopo titulari assistenti in stallo cum reliquis Canonicis deferre Pluviale vel potius incedere debeat cum rochetto, mantilletta et habitu violaceo? S. C. resp.: affirmative, exercente Episcopo Pontificalia et assistente Capitulo cum paramentis sacris. n. 3976 ad 3 die 10. Apr. 1728.

*Ad dubium:* Excepto Presbytero et Diaconibus assistantibus ceteri Canonicci non assumunt s. paramenta, cum Archiepiscopus sol. celebret vel facit illas functiones, in quibus juxta Caer. Ep. id praestare debent omnes Dignitates et Canonici; Quaeritur: Utrum tolerari possit haec consuetudo? S. C. resp.: Negative. Die 16. Apr. 1861.

### III. In Catechizatione.

Episcopo pueros plebemque docenti christianam doctrinam assistantiam non deberi. n. 4285 die 29. Mart. 1760.

### IV. In Confirmatione.

Vd. *Biretum; Episcop. missae etc.; Caeremoniar.* (assistens. Ep.) ; *Assistens* (incens. decr. n. 4358); *Benedictio cum SS. Sacramento.*

Episcopum in Cathedrali Confirmationis Sacramentum vel Ordines collaturum debent saltem duo Dignitates seu Canonici in habitu choralis ad januam Ecclesiae excipere, aspersorium porrigeri eique Confirmationem vel Ordines conferenti assistere. n. 4317 ad 9 die 6. Aug. 1763.

### V. Coram SSmo.

*Ad dub.:* An Episcopo Rocchetto et Mozzetta induto ac genuflexo in suo Faldistorio, sive Genuflexorio ante SSnum. Sacramentum assistere debeant duo Canonicci unus ad dexteram, alias ad sinistram, vel potius omnes simul in stallis suis choralibus interesse?

S. eadem R. C., tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum: „Nega-

tive quoad primam partem; et Affirmative quoad secundam.“ Et ita declaravit et servari mandavit. n. 3632 die 26. Augusti 1702.

### VI. Dum induitur Episcopus.

Canonicos teneri stare circa ipsum Episcopum, dum sacris paramentis induitur tam pro missa Pontificali quam processionibus. n. 1650 ad 6 die 28. Sept. 1652.

Episcopo celebranti in Pontificalibus debent assistere duo Canonicci, donec alii quinque in Sacrario desumunt paramenta. n. 3597 ad 6 die 10. Sept. 1701.

Cf. *Diaconi assist.* (ubi sumunt paramenta.)

### VII. Extra Cathedralem.

Canonicci Cathedralis, quando assistunt in aliqua Ecclesia *civitatis* pro celebrandis Vesperis et Missis solemnibus, *cum habitu canonicali assistere debere*. n. 1502 ad 5 die 14. Maii 1644.

Vd. *Diaconi assist. extra Cathedr.;* *Canonici* (praeced. super alios); *Rector Ecclesiae; Translatio Corp. Sanctorum.*

Capitulum et Canonicos Cathedralis Surrenti teneri et cogi posse ad assistendum Archiepiscopo in omnibus functionibus per eundem extra Cathedralem faciendis, dummodo remaneat in Ecclesia pars Canonicorum sufficiens pro Divinorum celebratione. n. 2260 die 22. Jan. 1664. Idem decretum sub n. 2349 die 19. Decb. 1665 pro Dioecesi *Aquila*. Archiepiscopo Bonon. in Ecclesia s. Petronii solemniter celebrante, praecedentiam et assistentiam deberi ibidem Canonicis Cathedr., dummodo ipsi ad Ecclesiam s. Petronii capitulariter accendant. n. 3256 die 15. Decb. 1691.

Dignitates et Canonicos Cathedr., qui invitati ab Episcopo se conferunt

ad Ecclesiam Colleg. Valletiae, occasione alicujus solemnitatis et ecclesiasticae functionis intervenire collegialiter in obsequium Episcopi. n. 4439 ad 1 sine dato (videtur esse 28. Julii 1789.)

*Ad dubium:* an Episcopo Pontificalia exercenti in Collegiata debeatur assistentia a Dignitatibus et Canoniciis Cathedralis seu potius a Priore et Canoniciis ejusdem Collegiate? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. n. 3978 ad 1 die 10. Apr. 1728. n. 5004 ad 1 die 7. Decb. 1844. Celebrante Episcopo in Pontificalibus die Festo s. Benedicti in Ecclesia Monialium Melphiten, non tenentur Dignitates et Canonici in corpore praestare assistantiam sed assistere tantum ei debent Canonici necessarii pro celebratione in Pontificalibus. n. 4103 ad 5 die 10. Decb. 1740; et arbitrii Episcopi est, istos duos Canonicos assumere et deferre in suo curru. *Ibid.* ad 6. n. 4145 ad 5 die 20. Julii 1743.

Episcopo Pontificalia Celebranti in Collegiata (Casalen.) praestanda est assistentia a Canoniciis Cathedr. n. 4226 ad 10 die 15. Julii 1752.

#### VIII. An induunt Episcopum?

*Ad dubium:* an Canonici assistenteantur induere Episcopum s. paramentis? S. C. resp.: Servetur Caerem. Lib. 2 c. 1 et 8.

Vd. *Cappa Episcopi.*

#### IX. In Ordinationibus.

Alii Canonici (qui non sunt Ministri) ad publicas Ordinationes, quae sine missa cantata fuit, in habitu canonicali assistere poterunt. n. 351 ad 2 die 19. Maii 1607.

*Ad dubium:* an facienti Episcopo Suffrag. Velitern. Ordinationes Generales in aliquo Sacello, propter impedimentum altaris maj. ex causa reci-

tationis horarum in choro, debeant assistere aliqui ex Canoniciis? S. C. resp.: Servetur Pontificale: cum missa sol. in altari majori praesente Clero. n. 3491 ad 3 die 6. Sept. 1698.

Vd. *Canonici assist. Episcopo in hab. canonicali* (decr. n. 4317.)

*Ad dubium:* an Canonici Cath. possint compelli assistere et inservire Episcopo Ordinationes habenti et alia Pontif. exercenti? S. C. resp.: Dispositionem s. Concilii Trid. Sess. 23 de Reform. c. VIII omnino servandam. Et haec dispositio est: „Ordinationes s. Ordinum . . in Cathedrali Ecclesia vocatis praesentibusque Ecclesiae Canoniciis publice celebrentur; si autem in alio Dioecesis loco praesente clero loci. n. 3391 die 9. Junii 1696.

#### X. Obligatio.

Episcopus non potest Canonicum, qui Canonicatum alteri renuntiavit stante senectute, cogere ad interessendum Episcopalibus functionibus una cum aliis Clericis simplicibus. n. 743 die 27. Mart. 1628.

#### XI. Paramenta.

Vd. *Diaconi ass. in Ordin. confer.* decr. n. 4732.

#### XII. In Processione.

In Processionibus, dum ponitur pro Episcopo Genuflexorium et hinc inde a lateribus duo scamna, dignior locus Canonici dandus est. n. 647 die 18. Julii 1626.

#### XIII. Si non sunt consecrati.

Canonicus nondum consecratus potest assistere Episcopo celebranti amicu sacerdotali indutus. n. 2239 ad 1 die 4. Aug. 1663. Non esse permittendum, quod Canonicus non consecratus Episcopo celebranti assistat amicu sacerdotali indutus. n. 2287 ad 1 die 30. Aug. 1664.

Vd. *Canon. supranum.*

#### d) Assist. in functionib. Dignitariorum.

*Ad dubium:* an in festivitatibus SS. Antonii et Dominici, quae ex populi devotione (Branae) celebrantur cum missa et vesperis sol. cantatis ab Archipresbytero Ecclesiae Colleg. vel Canonico turnario, Canonici teneantur choro interesse? S. C. resp.: Esse hortandos. n. 3962 ad 8 die 7. Julii 1725.

#### e) Associantes Episcopum.

Vd. *Episcopus* (Accessus ad Eccles.); *Canonici* (habitus etc.)

#### f) Capite detecto in choro.

Vd. *Reverentia; Gloria Patri; Pileolum; Biretum.*

Canonicos Cathedralis Conversanae teneri insurgere detecto capite, quando alius Canonicus intonat aliquam antiphonam, procul insurgunt presbyteri Portionarii. n. 2524 die 24. Jan. 1671.

Surgere debent Canonici (Neapol.) quando ab ipsis cantatur Antiphona, et eodem modo Beneficiati, quando ab ipsis cantatur. n. 2845 die 20. Novb. 1677.

#### g) Celebrantes.

Cf. *Diaconus Missae; Vesperae Canonorum; Assistens Canon; Canonici (Officiat); Dignitas; Purificatio B. V. M.; Missa conv. (Celebans); Coadjutor Canonici; Expositio SSmi.* (Exponens; decr. n. 5179.)

Absente, impedito vel nolente Praeposito functions ecclesiasticas spectare ad Canonicos digniores ordine successivo. n. 3647 die 12. Aug. 1673.

Omnis functions, quae peraguntur ab Archipresbytero Collegiate Oppidi Bronae cum interventu Capituli eodem absente Archipresbytero, spectare ad Canonicum seniorem. n. 3962 ad 1 die 7. Julii 1725.

Servari potest consuetudo (Cathedral.

Conimbricens.) ut fer. IV. Cinerum Canonicus turnarius impedito vel nolente Episcopo, Cinerum benedictionem peragat et Missam cantet. n. 4233 ad 9 die 14. Apr. 1752.

Canonicos praesentes et non impeditos per se ipsos servire et sua munia exercere debere et non per Substitutos. n. 172 ad 3 die 23. Novbr. 1602.

Canonicos et Presbyteros missas aliasque functions facere recusantes, ad munia exequenda per se ipsos non autem per Substitutos cogendos esse. n. 305 die 16. Apr. 1606.

#### h) Chorus.

Cf. *Chorus; Sedes; Protonotarius; Bened. in Matut.; Lectio nona; Completor.; Psalmi grad.; Canonici (Officii recitatio).*

#### i) Comitantes Episcopum.

Vd. *Episcopus* (associatus in ambul.)

#### k) Feriae.

Vd. *Coadjutor Canon.* (residentia); *Synodus* (tempus).

Episcopus potest consuetudinem Canonorum longius ab Ecclesia abesse, quam a Concilio prescribitur, ad praescriptum reducere. n. 172 ad 1 die 23. Nov. 1602; n. 227 ad 7 die 10. Jan. 1604.

Tempore vacationis *non omnes Canonicos simul* a servitio vacare debere sed alios post alios ordine servato, ita ut Ecclesia servitio non defraudetur. n. 172 ad 2, die 23. Nov. 1602.

Ad preces Capituli Cathedr. Derthon: Ut intra Annum quisque ex Canoniciis per bimestre vel continuum, vel interpolatum a Choro abesse possit absque distributionum amissione etiam honestae animi relaxionis causa, attamen servatis de jure servandis. —

Emus. et Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. . . rescribi mandavit:

„Recurrat ad S. C. Concilii.“